

CAP. III.

DE

EXEGESI, EJUSQUE VIRTUTIBUS ET VITIIS.

§. I.

QUæ Exegetica optima sit, ex contrariis, nempe vitiorum exegeticorum cognitione optime dignoscitur. Sunt autem illa vel generalia, vel specialia. Generalia repræsentabimus sub nomine Exegetice Judaicæ, Pontificiæ, Calvinianæ, Socinianæ, & Coccejianæ. Posthæc de specialibus agemus.

§. II. Judaica Exegetica non prorsus est rejicienda, sed in subsidium vocanda, præsertim in Grammaticis & ritualibus. Plane vero regnare inter nos non debet Exegetica Judaica, maxime propter IV. vitia, quibus laborat palmaria. Nam

- 1) Judæi inepte hærent in sensu literæ grammatico, quem omnibus dictis tribuunt, & sub quavis prophetica atque ornatiori formula crassum quendam vulgaremque sensum quærunt.
- 2) Allegoriarum nimis sunt studiosi, easque in omnibus locis Biblicis, summa sæpe cum violentia, quærunt.
- 3) Tredecim habent modos interpretandi, vel exegetice argumentandi, plerique autem pueriles sunt & sanæ Logices regulis contrarii, illi etiam, qui saniores sunt, turpiter ab ipsis pervertuntur. Sunt autem hi modi:

1) a